

celebrandis, quod sibi vult Anonymus; certissimum, inquam, est, ejusmodi bacchantes, tanquam male feriatos, extemplo excommunicandos fuisse. Quia autem posterius non est factum; ergo nec prius. Ejusmodi autem ritus subinde eosdem adhibuisse, qui per se liciti & adiaphori fuerant, credibile est. Sed tamen omnia non esse excusanda, fateor. Porro objici solet, *Maximum Taurinensem Homil. de Circumcisione Christi* aliquos reprehendisse, qui larvati cum Ethniciis pervagati fuerint. Regero, quamvis unus & alter id fecerint, cæteris tamen omnibus id non esse imputandum. Semper enim carcinomata in Ecclesia fuerunt. Legatur tota Homilia. Si quis porro objiciat, *Salvianum* (vergente Seculo V. Lib VI. de Gubernat. Dei) Christianis exprobrasse, quod ludis scenicis Ethnicorum adfuerissent p. 119. item cap. VIII. p. m. 164. Illud, ait, perniciosius ac scelerius, quod multi eorum, qui professionem Christo dicaverant, mente Idolis serviebant. Quis enim non eorum, qui Christiani appellabantur, Cœlestem illam, aut non post Christum adoravit, aut quod est pejus, multo ante, quam Christum? Sed nullibi de celebratione Bacchi hic agitur; &, si Episcopi, propter inscriptionem Iudorum tam scenicorum, quam Circensium, & propter venerationem *Uraniae* illos reprehenderunt; quid, quæsto, dixissent, si Christiani ante jejuniū quadragesimale Baccho aliquod Festum dicassent atque celebrassent?

### §. XI.

Pergo ad octavam rationem *a detestatione Bacchanalium* VIII.  
desumptam. Cur enim Christiani tunc festum hoc Bacchi Ethni-  
cum & propriæ sic dictum una cum omnibus ritibus Thyrsgerorum  
celebrassent, cum tamen maxima detestatione & horrore id prose-  
querentur, & idololatriam Ethnicorum exagitarent, uti ex supra  
citatis Patribus videre est? Præprimis notatu digna sunt, quæ So-  
crates narrat, de binis Apollinariis, Patre ac filio. Hi Hymnum  
saltem Epiphani Sophistæ in laudem Bacchi audiverant; quapro-  
pter Theodotus Laodicensis Episcopus illos excommunicavit. Hist.  
*Eccles. Lib. VI. c. 25. p. m. 672.*

*A detesta-  
tione Bac-  
chana-  
lium.*

### §. XII.